

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und sprachlich erläutert werden!

I. Übersetzung

1 Temporis angusti mansit concordia discors
2 Paxque fuit non sponte ducum; nam sola futuri
3 Crassus erat belli medius mora.- ...
4 Sic, ubi saeva
5 Arma ducum dirimens miserando funere Crassus
6 Assyrias Latio maculavit sanguine Carrhas,
7 Parthica Romanos solverunt damna furores.
8 Plus illa vobis acie, quam creditis, actum est,
9 Arsacidae: bellum victis civile dedistis.- ...
10 Tu, nova ne veteres obscurent acta triumphos
11 Et victis cedat piratica laurea Gallis,
12 Magne, times; te iam series ususque laborum
13 Erigit inpatiensque loci fortuna secundi.
14 Nec quemquam iam ferre potest Caesarve priorem
15 Pompeiusve parem. Quis iustius induit arma,
16 Scire nefas; magno se iudice quisque tuetur:
17 Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni.
18 Nec coiere pares: alter vergentibus annis
19 In senium longoque togae tranquillior usu
20 Dediticit iam pace ducem, famaeque petitor
21 Multa dare in volgus, totus popularibus auris
22 Inpelli plausuque sui gaudere theatri,
23 Nec reparare novas vires, multumque priori
24 Credere fortunae. Stat magni nominis umbra;
25 Qualis frugifero quercus sublimis in agro
26 Exuvias veteris populi sacrataque gestans
27 Dona ducum nec iam validis radicibus haerens
28 Pondere fixa suo est nudosque per aera ramos
29 Effundens truncu, non frondibus, efficit umbram;
30 Et quamvis primo nutet casura sub euro,
31 Tot circum silvae firmo se robore tollant,
32 Sola tamen colitur. Sed non in Caesare tantum
33 Nomen erat, nec fama ducis, sed nescia virtus
34 Stare loco, solusque pudor non vincere bello;
35 Acer et indomitus, quo spes quoque ira vocasset,
36 Ferre manum et numquam temerando parcere ferro,
37 Successus urguere suos, instare favori
38 Numinis, inpellens, quidquid sibi summa petenti
39 Obstaret, gaudensque viam fecisse ruina.